



B Althasar apud Vuirtenbergicos ex nobili familia Gultlingorum natus, & in omni genere literarum & uirtutum optimè educatus est. accedebat & naturalis facundia, & rara prudentia. Id cum illustriss. princeps Huldricus Vuirtenbergicus intellectuisset, eū inter suos consiliarios admisit, & suo nomine passim in comitijs Imperij res magnas expedire iussit, id quod ille etiam singulari industria perfecit. Cum etiam Cæsar 1546 Ratisbonæ doctorum virorum colloquium instituisset, hunc Balthasarum cum Volrato comite Vualdecko auditores designauit, quò omnia acta Theologorum, testiū instar, obseruarent, & suo loco manifestarent. Postea quoq; cum bellum Smalkaldicum esset inchoatum, ipse sui principis nomine legatus interfuit, & inter duces principum receptus, sua facundia cōtra pontificios totum exercitum incitauit, & luculenta oratione patriam fortiter defendendam suasit, atq; D. Ioanni Hedecco Vuirtenbergicos milites tradidit. Cum autem Cæsaris fortuna illa res non succederet, sui principis nomine aliquoties Imperatorem legatus accessit, & Huldricum Vuirtēbergicum Carolo Imperatori, ne maior calamitas sequeretur, reconciliauit. Hoc modo semper huius Gultlingi magna fuit apud Vuirtenbergicos authoritas. Tandem cum multa officia patriæ præstitisset, anno circiter 1561 senex obiit, & honorifice sepultus fuit. Ioan. Sleid,